



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Parallelæ Geographiae Veteris Et Novae**

**Briet, Philippe**

**Parisiis, 1648**

§. 13. De Balearidibus Insulis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13147**

§. 10. *De Carpetanis.*

DICTI & Carpitani, & Carpentani, & Carpesci; ferociâ & multitudine reliquis huius tractus populis præcellebant, & verò ausi sunt aggredi Annibalem ex Vaccæis redeuntem, à quo vieti tantum, quia temerè progressi erant in prælium. Iis tamen proficatis, nihil Pœno restitut præter Saguntum.

§. 11. *De Oretanis.*

GERMANI cognominati sunt, fortè quasi Carpetanorum fratres. Dicti item Metesani ab urbe Metesâ. Regio eorum montibus distincta, & sylvis spissis, & præaltis vestita.

§. 12. *De Vasconibus.*

ISTIDORVS nomen eis ab urbe *Vacca* ad Pyrenæum deriuat. Historiæ Gallicæ recens scriptor à Græco βασιν quod est celeriter currere; quare à Silio *Vasco leuis* canitur. Blondus & aliquot alij à Visigothis. At Vasconum nomen priùs in Europâ auditum quam Gothorum.

MORES. Fortissimi fuerunt, idque Sertorio contra Romanos probarunt. Sed crudelissimos arguit Calagurritana obsidio, in quâ coniuges, & liberos sale conditos vorauerunt.

§. 13. *De Balearidibus.*

ITA vocatae sunt à *Baleo* Herculis filio, ut vult Florus; vel à voce βαλλεω, quia optimi fundibularij. Dictæ sunt & Insulæ Gymnesix à Græcis, vel quia earum incolæ nudi incederent æstate, ut vult Epitomistes *Livij*, vel quoniam naufragi eò appulissent Bœoti omnino nudi, *Tzetzes*.

REGIONIS qualitas. Vino abundabat optimo, & cum Italicis comparando, *Plinius*. Carebat oleo, sed illud ex terebinto efficiebat, *Aristoteles*. Nullum hinc noxiun animal, imò terra hinc allata serpentem necat, *Plinius*. Portus habebat optimos & capaces, sed iis officiebant scopuli quos Strabo χειροδότει vocat.

Ii iii

Cuniculis olim cārebant, sed illati mas & fāmina sic creuerunt, vt indigenæ ab Augusto opem implorare coacti sint, vrbibus suis penē suffossis.

**MORES.** Nudi æstate incedebant, fundâ cingebant caput, fundâ renes, tertiam manu ferebant; ad minimos, magnos, & medios iectus. Primos v̄sos esse fundâ putat Vegetius; perperam, illam enim à Phœnicibus fundæ auctoribus acceperant. Cibum puer non attingebat nisi indicatum à matre appetiisset. Nec auro, nec argento vtebantur, nec patiebantur ad se inferri. Primi omnium laticlauium induerunt, *strabo*. De nuptiis eorum legatur Diodorus Sic. lib. 6. Feros & sylvestres fuisse docet *Florus*.

**POLITIA.** *Strabo* eos à Rhodis oriundos putat, qui eò post bellum Troianum appulerunt. Eò quoque venere Baetoti, vt suprà innuimus; tum Phœnices, à quibus fundarum v̄sum accepere. Demum à Romanis domiti sunt per Metellum qui Balearicus dictus est, eoque Colonia Romanorum trium millium ex Hispaniâ traducta est.

#### §. 14. De Pytiensis Insulis.

A frequenti *Pinu* nomen accepere. Abundabant pecore, lani-  
ficiis exquisitissimis, & saccaro. Nullos cuniculos gignunt. Mai-  
or Ebusus serpentes non habet, quibus minor Ophiusa dicta infestatur, ideoque deserta est; itaque incolæ eius Ebusitanâ hu-  
mo spatiū cingebant, vt hīc tūti viucent.

#### §. 15. De Gadibus.

**NOMEN** huius Insulæ multiplex. 1. *Gadira*, hoc est γῆς δεῖπνο  
collum terre, aut à filio Neptuni fratre Atlantis. 2. *Eritbia*. 3. *Aphro-  
disias*. 4. *Iunonis* ab indigenis. 5. *Cotyusa*, ante Tyrorum aduen-  
tum, ab oleastris. 6. denique *Tartessus* à Romanis.

**QUALITAS.** Fuisse fertilissimam arguunt fabulæ Geryonis. Hīc certè lac sine fero, & nisi pecori sanguis mitteretur intra 50. dies rumperetur; quod de Erithiâ minore insulâ tradit *trabo*.

**POLITIA.** In eâ regnasse feruntur Argantonius, & Geryon. Postea Tyriis, deinde Pœnis, denique Romanis cessit: quibus dedit Cornelium Balbum Garamantum victorem, & Columellam rei Rusticæ scriptorem.